

Ricia, Bernardus de Pillo, Dolius Girardus de Seroto, Ubertus Gnaonus, Bernardus Curtus, Belengius Niblus, Otto de Foro, Auricus de Pillo, Ubertus Sachel, Willelmus Castinus, Anricus Gamundus, Ugo de Gazono, Bono Johannes de Grassis, Tibaudus Nata, Palmerius de Puteo, Arnau-
 dus de Tasco, Wilelmus Barotius, Anselmus Picius, Wilelmus Henricus Strane, Wilelmus Guercius, Jacobus Pelorcus, Manfredus Tibaudonus, & Nicolaus Callegarius. Et item tam consules prædicti quam potestas, & utriusque civitatis consiliarii, jam dicti jusserunt cartam fieri. Ego Petrus Notarius S. Palatii rogatus interfui, & de mandato consulum dictorum, potestatis, & consiliariorum civitatis utriusque hanc cartam scripsi.

Mandatum Honorii III. Alexand., ut Ecclesias de Quargnento, Oviliis, & Solerio restituant Astenfi Ecclesie.

169

M C C X X I V.

Honorius Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis capitulo, & civibus Alexandrinis. Ven. F. N. . . . Episcopus, & dilecti filii capitulum Astenfe sua nobis petitione monstrarunt, quod fel. me. Alexander P. P. prædecessor noster volens vobis proprium Episcopum, propriamque Diocesim assignare pro ipsa Diocesi assignanda circumstantes Diocesim mutilavit. Scandalo igitur, & odio propter hoc contra vestram civitatem suborto, idem prædecessor noster, ut hujusmodi scandalum, & odium sopiretur, statuit, ut Alexandrinæ, & Aquensis Ecclesiæ unirentur, & sic Astenfis Ecclesia pacifice retinuit plebem de Quargnento, ac plebem de Vuiliis cum capellis ipsarum, & Ecclesiarum de Soleriis, quibus mutilata fuerat in assignatione diocesis supradictæ, cumque prædicta unione non consecuta effectum, diu sine proprio Episcopo fuissetis, demum tempore fel. me. Innocentii P. P. prædecessoris nostri tractatum de habendo Episcopo resumpsistis. Idem igitur prædecessor noster cognito ex regeſtis ejusdem Alexandri P. P., quod ipse duos excogitaverat modos vobis Episcopum providendi, assignatione videlicet proprii Episcopi, & Diocesis, ac unionem deinde supradictam, mandavit bo. mem. Terdonensi Episcopo, & Archidiacono Vercellensi, ut si fieri posset sine gravi scandalo, & enormi præjudicio aliorum juxta primum modum, sive secundum providerent vobis personam idoneam in pastorem. Alioquin quæ super his invenirent, ei per suas litteras intimarent, ut per eorum relationem instructus procederet in ipso negotio, pro ut videret potius procedendum. Prædictis ergo Episcopo, & Archidiacono ei significantibus, quæ invenerant, ipse præeligens secundum modum providendi vobis Episcopum unionem prædictam deliberato consilio confirmavit. Vos vero filii capitulum non attendentes, quod electo secundo dictorum modorum primus cessaverat, nihilominus præfatas detinetis Ecclesias, quas Astenfis Ecclesia usque ad diem illam possederat sine lite, vobis filii cives contra justitiam detinentibus burgum Quargnenti cum pertinentiis suis de jure ad Astensem Eccle-

siam pertinentem. Et licet super iis plures Apostolicas litteras impetrarint, nondum tamen suam potuerunt justitiam obtinere, quare nobis humiliter supplicarunt, ut prædicta sibi restitui faceremus, vel saltem partes, cum causa sit ardua, dignaremur ad nostram vocare præsentiam, & eam sine debito terminare. Cum igitur ea, quæ præmissa sunt de propria Diocesis assignatione, & unione prædictis ex litteris contentis in regeſtis eorundem prædecessorum nostrorum liqueat esse vera, discretionis vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus Ecclesias prædictas, & burgum cum pertinentiis suis sine difficultate restituatis Episcopo, & capitulo supradictis, & permittatis eosdem illorum pacifica possessione gaudere, vel si de jure confiditis in prima Dominica proximæ quadragesimæ, quam vobis terminum peremptorium assignamus sufficientes procuratores vos filii capitulum vestros, & vos filii cives vestros propter hoc ad nostram præsentiam destinatis exhibitori, & recepturi super his, quod dictaverit ordo juris, scientes nos dilectis filiis præposito Archipresbitero, & Cantori Cariensi Taurinensis diocesis per nostras litteras mandavisse, ut si necesse fuerit vos per censuram Ecclesiasticam appellatione remota compescant ad alterum prædictorum. Non obstantibus litteris super his hætenus a sede Apostolica impetratis. Datum Lateran. III. nonas decembris anno nono.

Ex T. IV, Litterarum Apostolicarum Honor. PP. III. pag. 26.

Conventio inter Canonicos Aquenses, & Monachos S. Petri de recipiendis depositionibus testium.

M C C X X V.

170

Anno Dominicæ Incarnationis MCCXXV., ind. XIII., die Sabbati II. februarii, in Aquis scilicet in clauſtro S. Petri Aquensis præsentibus testibus infraſcriptis. Coram D. Fulcone Mediolanensi ordinario, & delegato D. Henrici Mediolanensis Archiepiscopi in causa, quæ vertitur inter capitulum Aquensis Ecclesiæ, & capitulum S. Petri ejusdem civitatis, prout in litteris delegationis sigillo D. D. Archiepiscopi munitis apparebat, quas vidi, & legi. Ita convenit, ut capitulum Aquense scilicet inter D. Arnaldum præpositum de Veximo findacum ipsius Ecclesiæ præsentem, & consentientem, & volentibus D. Ottone Archidiacono, D. Ardizone præposito de Melazo, & D. Magistro Enrico ex una parte, & D. Arnaldum de Vuiliolis procuratorem Magistri Ottonis Clerici S. Calimeri Mediolanensis findici dicti monasterii præsentibus, & consentientibus, & volentibus D. Tutbono Abbate, & D. Guilelmo Priore, Henrico Priore S. Petri de Capitevici, presbytero Vincentio de S. Johanne de Ranis, presbytero Thedisio, Guilelmo Scoto, Oberto Placiano, Petro, Johanne, & Henrico Clerico nomine, & a parte capituli ipsius monasterii ex altera, ut testes monasterii, qui producti sunt in causa appellationis, interrogentur de quæſtionibus canonicorum, super quibus non fuerunt sufficienter interrogati ab illo, qui illos recepit salvo jure Aquensis Ecclesiæ, si contra capitula